Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35481
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

hac uita recessisset. sola fide parentum. cum oblationibus et sacrificiis interuenientibus. non improbabiliter saluati estimantur. pro eo quod preceptum circumcisionis non nisi masculis ad octauum diem uenientibus indictum esse uidetur. ac per hoc preuaricationis reos non fuisse quia precepti contemptores non fuerant. quod datum non fuerat non peruenientibus ad diem octauum. precipue ne miserabilior hic sexus appareat. et ei etiam preiudicet in illo a quo alter sexus absolutus omnino fuisse comprobatur. Sed merito queritur si huiusque diem octauum negligentia siue contemptu parentum sine sacramento circumcisionis transierit. postmodum eodem sacramento precepto salutis effectum consecutus sit. cum preceptum diuinum hoc sacramentum non nisi die octauo celebrandum indixit. Et potest fortasse non irrationabiliter dici quod sic degentibus ad ritum legis uenientes hoc sacramentum quolibet etate ad salutem perceperunt. ita etiam si qui sub lege tempore suo hoc non percepissent. ad salutem tamen et ad remedium eis opatum sit. si illud postmodum suscipiendo priorem negligentiam correxerit. Sic ergo circumcisionis sacramentum semini abrahe sanctificando et signando partim datum est. Sanctificando ut iustificaretur. signando ut a ceteris gentibus discerneretur. quamdiu singularis maneret et discreta generatio de qua christus nasceretur. Unde non inconsequenter colligitur probabile esse illi tantum semini abrahe circumcisionem ex precepto indictam. de quo christus nasciturus erat. ut uidelicet post abraham ysaac. post ysaac iacob. ac deinde. xii. tribus que de ipso iacob orte sunt. Nam et iob secundum quosdam de esau stirpe fuisse creditur. quem tamen circumcisum fuisse non legitur.

De preparatione legis.

.III. Sacramentum circumcisionis ante legis lationem datum est. et per ipsum quedam preparatio ad suscipiendam legem facta est. Quemadmodum nec in